



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 17. Comes quartus Timor. Fig. Symb. Testim. ex Veteri, & Nov.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

indigna ipso operante faciat; sed non ipso amore indigna. Ignis suo calore efficit, ut aqua fervens faciat illa, quæ ipsi aquæ sunt contraria, sed non igni: aqua enim, quæ de se frigida est, concepto calore ignis fervet, ebullit, saltat; quæ omnia ipsi aquæ, non autem igni, qui ea operatur, sunt adversa. Sic Deum flagellari, crucifigi &c. res quidem fuit indigna personâ Filii Dei, sed non indigna amore ejus. Cum infidelis dicere audit, Deum fuisse crucifixum, scandalizatur; Fidelis autem minime: quia intelligit & pro comperto habet, Deum opt. Max. amoris causâ illa omnia fuisse perpessum. Vide I. Cor. 1. 18. O utinam scintillam aliquam hujus Divini amoris habere-mus! multa certò indigna personis nostris, sed non indigna amore, qui ea operatur, faceremus. De Imperatrice Placilla, Imp. Theodosii Majoris conjugē, refert historia Ecclesiastica 1. 2. c. 2. quòd, cum tanta esset, hospitalia, pauperes, ægros, inviseret, eisque propriis manibus daret medicinas, patinarum, ollarum, & aliorum vaforum fordes ablueret, lectum sterneret, reliquaque administraret: cumque à servis suis sinistrè carperetur, indigna esse tantâ personâ, quæ gereret; sic respondit: Cerno quidem hæc meâ auctoritate regiâ, sed non amore, quem Deo meo debeo, indigna esse. Philipp. Diez. tit. amor Dei erga hom.

Titulus libri Canticorum Salomonis. Non addit Salomon, sicut in Exordio Proverbiorum, & Ecclesiastæ. *Filius David Regis Israel*, seu Regis Jerusalem; sed tantum simpliciter ait, *Salomonis*: quia ad Dei laudes canendas, & affectus amoris exercendos, exuenda regia majestas, & humana pompa. Lud. de Pontel. 1. Eph. 1.

Veni quidam homo dives ab Arimathea. Matth. 27. 57. *Erat Decurio vir bonus, & justus &c.* Luc. 23. 50. *Fuit discipulus Jesu.* Jo. 19. 38. *Nobilis Decurio.* Marci 15. 42. Et quid hic dives, vir bonus, discipulis Christi, nobilis decurio egit? nihil se indignum, dum Corpus Domini unxit. Jo. 19. 38. 39. Sed cur eum Evangelista tam honorificis titulis ornat? quia si quando nobilis, dives illustis dici debuit; tunc certò, quando ad gloriam Dei hoc opus peregit. Et quando Christianus quiscunque tale quidpiam pro Deo facit, splendorem suum non obscurat, sed plurimum auget. Did. Niss. Dom. Septuag. §. 5.

Dum flecter, inclinavis se. Jo. 20. 1. 1. Inclinat amor sæpe altitudinem cordis humani, etiam ad ima sectanda; & superbum humilem facit: nec est tam vilis, aut abjectus mos, quem inhærens dedignetur amor. Sim. de Cassia. 14. de Resur. Salvat.

Tanta est convenientia amoris Christi, & humilitatis; ut qui alterum horum habuerit, alterum necessariò habere comprobetur. Rich. à S. Viçt. in Cant. c. 15.

S. Theresia, teste Franc. Ribera in vital. §. c. 16. dicebat: intelligere se non posse, quomodo vel sine humilitate amor, amor vel sine amore haberi possit humilitas. Drexel. Rhet.

Cœl. 1. 1. c. 2.

§. XVII.

Amoris Comes quartus Timor.

Figuræ, & Symbola.

Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum. 1. Reg. 14. 1. Srenuus Princeps Jonathas, aggressurus Philisthæos inter nocturnas tenebras, voluit suum armigerum habere secum, ut, quos ipse non occideret, sequens armiger occideret. Sic amor, volens aliquid audacius aggredi, non solum propria adhibet motiva; sed etiam motiva timoris servilis, & mercenarii: & tentationes, quas amor non profligat, timor damnationis prostermit. S. Franc. Salef. 1. 11. c. 14.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Habet sponsus labia sua, & sponsa similiter. Labia sponsi sunt misericordia, & veritas; labia sponsæ sunt amor, & timor. Et hæc quatuor labia sibi invicem conjunguntur: nam misericordia amor conjungitur, & veritas timori. Hugo Card. hic.

Poma vetera. Cant. 7. 13. opera timoris; poma nova, opera amoris. Hugo Card. hic.

In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Of. 11. 3. In funiculis Adam trahit, quando timorem inquit, aut dolorem; in vinculis charitatis, cum vel beneficia exhibita recollit, vel exhibenda promittit. Hugo Card. Prologo in Gen.

Misi duos. Matth. 21. 1. Moraliter isti sunt Timor, & Amor; timor Domini expellit peccatum, amor veniam impetrat, & sic ad Deum adducit. Castellum moraliter cor peccatoris est. Hugo Card. hic.

Osculabatur pedes ejus. Luc. 7. 38. Premittit duo labia super pedes. Amor, & timor, labia sunt animæ; junum superius, scilicet amor, timor labium inferius est. Anna tantum labia movebat, & de prole meruit à Domino exaudiri. Nec Magdalena legitur verbulasse, sed labia timoris, atque amoris, premebat in Domini pedes; & osculis loquebatur; de quibus in Job dicitur: quòd in omnibus adversitatibus non peccavit labiis suis, ut à Dei timore, atque amore, recederet; ut amore, atque timore privatus, contra Dominum aliquid loqueretur. Sim. de Cass. 1. 8.

Sicut terebrum præparat foramina rei imponendæ, sic timor Dei omnia opera solidat, & præparat viam charitati Divinæ, & allicet Deum ad juvandum. Blof. 1. 4. Revel. S. Brigittæ cap. 129.

Testimonia.

Ex Veteri, & Novo.

Fili, accedens ad servitorem Dei, stā in timore. Eccli. 2. 1. Si ex timore feceris te ejus servum, faciet te ex charitate amicum suum; & sic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis. S. Bernard. in Parvis ferm. 1. 13.

Cognoverunt viri, quòd à facie Domini fugerent. Jon. 1. 10. Non leges, quibus verbis Jonas fugam suam indicaverit: nam cum rationem sui daret, sic ait: *Hebraus ego sum, & Domi-*

Dominum celi ego timeo. v. 9. Sept. *Servus Domini ego sum.* Quia servum se fatetur, & non amicum; Sapienter inferunt, eum fugere: quia fervorum est fugere, non filiorum: quia *charitas nunquam excidit.* Baeza t. 2. l. 6. c. 5. §. 12.

Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Matth. 26. 56. Suspectus amor in Deum sit, qui sine ullo metu est. Heu! quam incaute Petrus amoris in Deum adeo laxavit habenas, ut nihil sibi timeret. S. Aug. in Pl. 96. Petrus, qui audaci dilectione sequebatur, timida trepidatione ter negavit. S. Aug. in Pl. 96. in praefat. Ama Deum cum propria infirmitatis metu. Id. l. 4. c. 2. §. 3.

Timor servus est, charitas libera est; & ut sic dicamus, timor est servus charitatis. S. Aug. l. 13. de Verb. Apost. propè finem.

§. XVIII.

Amoris Comes quintus Zelus, cupit socios.

Trabe me: post te curremus. Cant. 1. 3. id est, si traxeris, non ego solus curram; sed curabo, ut adolescentulae animae, alique plures, post te currant. Pl. 50. 14. *redde mihi latus tuum &c. docebo iniquos.* v. 15. Dicerat enim à sponso gestare materna ubera; ideoque sibi bona gratiae postulat; non propter se solam, sed ut aliis prosit. Imperfecta charitas, quae dicit Deo, trahere me, post te curram, Lud. de Ponte hic §. 4.

Amans Deum vult socios, David totus abit in laudes Dei. Pl. 33. 2. *semper laus ejus in ore meo*; Addit: *magnificat Dominum meum.* v. 4. Luc. de Velloso in Judith 6. parænet. 17. Regius Pfalteris divinum affectum induerat, cum in amore suo, & deliciis suis, socios, & consortes requirit. S. Aug. hic: Amat Dominum quisquis est iste. Et quomodo illum amat? ut non invidet coamatori suo. Amor ejus nec zelotus iræ, nec invidia deturpat; multitudinem amantium exquirat, ut ejus pulcherrimam formam deliciarum, & divinae pulchritudinis ruant amplexus. De Arcon. in Jo. 2. Disc. 4.

Ajuro vos filia Jerusalem - ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit. Theodoretus sic legit: *ut suscitatis, & excitatis, charitatem, ad nec volueris.* Qui spiritus amore sunt inflammati, Deique tenentur desiderio; eadem flammam omnes ut homines accendantur, exoptant. Ut suscitatis &c. id est, ne charitatem erga Deum in vobis dormire patiamini, sed eam suscitatis, atque accendatis, &c. B. Theodoretus l. 2.

Egredimini, & videte. Regem Salomonem. Cant. 3. 11. Cur illò sola non vult frui? *Inveni, quem diligit anima mea.* vers. 4. Greg. Nyss. or. 7. quemadmodum magnus ille Paulus pro damno ducebat, si non eum hominibus universis bona sua communicasset: opto, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego sum. Act. 26. 29. Sic benignissima hæc sponsa. Hòc zelò flagravat Cornelius act. 10. 24. *convocatis*

cognatis suis. S. Chrysof. hom. 23. in Evang. hoc amici officium, hoc pium est, in tantis bonis amicos facere socios. Luc. de Velloso, in Judith. 6. Parænet. 17.

Venite, & videte hominem. Jo. 4. 29. De aqua gratiae, quam acceperat, in alios refundebat: & hoc signum, si diligitur Christus; quòd is, qui diligit, in ejus amicitiam alios trahit. Sim. de Cass. l. 11. c. 3.

Ceperunt loqui. Act. 2. 4. Scilicet magnalia Dei. Rich. à S. Laur. l. de laud. B. V. : *repleti sunt omnes Spiritu Sancto*, ecce plenitudo interior; & *ceperunt loqui*; ecce redundatio exterior. S. Greg. hom. 33. in Evang. linguis igneis apparuit Spiritus Sanctus: quia omnes, quos repleverit, ardentem pariter, & loquentes facit. Sylv. hic.

Si placent animæ, in Deo amentur; quia & ipsæ mutabiles sunt, & in illo fixæ stabiliuntur: alioquin irent & perirent. In illo ergo amentur, & rape ad eum tecum quas potes, & dic eis: hunc amemus, hunc amemus; ipse fecit hæc, & non est longe: non enim fecit, atque abiit; sed ex illo in illo sunt. S. Aug. Conf. l. 4. c. 12.

Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis junguntur; & omnes, qui sunt in domo vestra. Ergo rapite, quos potestis, hortando, rogando, disputando, rationem reddendo cum mansuetudine, cum lenitate. S. Aug. in Pl. 33. conc. 2.

In Manuscripto Archivi Rom. legitur: S. Ignatium P. Jacobo Laynez, ac socio, ad concilium Tridentinum profecturis, hoc documentum constanter inculcasse: ut quæ pro concione palam, quæ in familiari cum aliis consuetudine, maxime perè conentur inflammare animas in amore Dei Creatoris, ac Domini; explicando verum sensum præcepti: *Diliges Dominum &c.* Ex mensè Amor div. P. Nadas.

Amor imperfectus non admittit consortium. Si aliquem sensualiter amas, agere fers ab alio illunt diligi. At verò, si S. Joanni Bapt. aut Evangelistæ, devotus sis; velles eis omnes esse devotos. Similiter, qui Deum diligit, cupit eum ab omnibus diligi. Philipp. Diez in festo SSS. Trinitat. conc. 3.

§. XIX.

Amoris Comes sextus. Desiderium præsentis Dilecti.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Faciem tuam Domine requiram. Pl. 26. 8.

Intra in cubiculum mentis tuæ, exclude omnia præter Deum, & quæ te cavent ad querendum eum. Dic nunc totum cor meum, dic nunc Deo: quero vultum tuum, vultum tuum Domine acquiro S. Anselmus Prologii c. 1.

Indica mihi quem diligit anima mea. Cant. 1. 6. Causa hujus desiderii; quem diligit anima mea: amans enim ardentem desiderat Deum. Lud. de Ponte Exhort. 9.

Quia amore langueo. Cant. 2. 5. Hebr. quia infirma charitate ego sum. Sept. quia vulnerata charitatis ego sum. Alii: occisa, vel mortua sum charitate. Corn. à Lap. hic.

Rever.